

Missa est, ite domum, cuncti gaudete fideles.  
Deo gratias. Amen.

CXXXVII. *De quodam genere hominum, scilicet in omnibus fraudulentè conversantium.*

(E ms. olim Elnonensi, nunc Regio, n. 274.)

Sunt quorum sic noster amor fastidit amores  
Sint ut amicitias inimicitias poliores.  
Obsequio damnum, contemptum vero favore,  
Blanditiis rixas, odiumque merentur amore.  
Frons quorum fallit rigidos mentito catones,  
Quos accusat opus, quos vita probat nebulones;  
Occultatur in his acus, esca, flamma, favilla.  
Credulus accessor hac pungitur, uritur illa.  
Grex [*f. lex*] his una doli confundit fanda nefandis;  
Dum modo pace dolos, dum palliat aspera blandis  
Lacte dealbat fel, gladium quoque melle perungit.  
Nec cito provisus, cito toxicat, et cito pungit.  
Eloquio fauces armantur, corda veneno;  
Dulcis in ore nothus, in pectore multa Celeno;  
Mellitæ fauces, et amarum nectar in ore.  
Linguam prodit opus, et privat verba sapore  
Sermo sapit nectar, sed mens incacessit aceto.  
Credula turba cave, viscum virtutisque caveto.  
Aspis habet virus, syren habet improba viscum.  
Os æquat syren, cor virus, mens basiliscum.  
Hos odit pietas, his adversatur honestum.

A Præter honestatem qui nil censent inhonestum  
In quibus occultæ non est vox nuntia mentis,  
In quibus est virtus; usus bene decipiendi.

CXXXVIII. *De brevi subsistentia hominis.*

(Ex eodem ms.)

Dic, homo responde quid homo sit, cur sit, et unde;  
Dic, homo, quid sit homo, sed prius an sit homo.  
Idne putas esse quod ut est festinat abesse,  
Quod cum vix steterit, labitur, imo perit!  
Stare putas hominem, cui mors ab origine finem  
Nuntiat: Et meus est; ingeminat: Meus est?  
Longa manus morti; mors fortior Hectore forti.  
Expugnant homines mœnia, mors homines,  
Roma pati didicit mortem, quæ cætera vicit.  
Mors regina tibi nascitur hic et ibi.

B Vita quid est jure nisi, mortis signa futuræ?  
Orta caro moritur, mortua non oritur.

CXXXIX. *De morte.*

Inter opes et delicias populique favores  
Hoc animus recolat, hoc tua lingua sonet  
Mors dominum servo, mors accepra ligonibus æquat,  
Dissimiles simili conditione trahens.

CXL. *Ad avarum.*

Si bene res detur, quamvis data semper habetur  
Nulla reservatæ gloria magna datæ.

## VEN. HILDEBERTI

### CARMINA QUÆDAM INDIFFERENTIA

1365 I. *Ad Romam de descensu sui.*

(E ms. Regio, n. 274.)

Roma nocens, manifesta docens exempla nocendi,  
Scylla rapax, puteusque capax, avidusque tenendi,  
Si tibi te jam præteritæ moda comparo fractam,  
In cinerem Romam veterem patet esse redactam.  
Roma modo, res absque modo, sitiensque lacuna,  
Dives egens, quæ cuncta regens se non regit una.  
Si quæris quanti fuoris, tu quæ cecidisti,  
Numen eras, caput orbis eras, dum Roma fuisti,  
His alis rota facilis et sua seque ferebat,  
Dansque salis, nihil ipsa datis dare majus habebat.  
Multa scientia, pauca superbia, regula morum,  
Os Ciceronis, vita Catonis, cura honorum,  
Arma potentis, cuncta domantia quæ nocuere,  
Te caput omnibus, ut patet, urbibus imposuere.  
Sic fuit utilis hæc rota mobilis, et bene tecum,  
Ut nihil amplius egerit altius, aut nihil æquum.  
Vidit et India pila minantia; signaque signis,  
Zonaque pigrior, unde remotior ætheris ignis.  
Vincitur Africa, prælia Punica multa debere.  
Dat tibi Gallia, victaque Græcia quæ nocuere.

(50) Forte Adelam comitissam Blesensem,

C Vincis, et omnibus hostis es hostibus et timor æque  
Docta resistere, prompta repellere fortia quæque;  
Inde pecunia, moxque superbia concipiuntur,  
Quæ duo turpia sunt comitantia, seque sequuntur.  
Desine credere te sibi vincere, dum tibi credis  
Fortia vincere, victaque lædere, te quoque lædia.  
Prælia pristina sunt data semina prima furorum;  
Afficit omnia rapta pecunia prima malorum;  
Stat modus et perit, et caput exerit. Eris acervus,  
Et domus amplior et numerosior et tibi servus.  
Trita palatia, templaque ditia, ditior ætas  
Vult sibi surgere, jam sibi ponere nescia metas  
Machina regia, nititur obvia demere pronis,  
Astra volantibus, æquora piscibus, arva colonis;  
Mensa capacior his modo quam prior, et nitet ære;  
D Vas quoque fictile, ceu sit inutile, spernit habere.  
Sic bona turpibus urbs data sumptibus est malefacta,  
Fractaque, stantia stat super omnia per prius acta.

II. *Ad A. comitissam (50).*

(E ms. Turon.)

Augusti soboles serle sublimis avorum,  
Missa tibi placeant quantulacunque precor.

Nolo manus sceptris, vel cervix apta coronæ  
Ad mea flectantur munera, mente fave.  
Ut satis est populo superum meruisse favorem,  
Cum cadit ad magnos hostia parva deos.  
Sic implet votum tua gratia; plus homine erro  
Si plus affectem quam placuisse tibi.

1366 III. *Ad Angliæ reginam* (51)  
(E ms. Ebroicensi, 19).

Qui solet ante homines Cicerone disertior esse,  
Facundus minus est dum venit ante deos;  
Sic ego cum mediæ plebi loquar ore deserto,  
In vultu potui dicere pauca tuo.  
Majestate tua stupui, totamque vaganti  
Percurrens oculo, sum ratus esse deam.  
Parcius elimans alias natura puellas,  
Distulit in dotes esse benigna tuas  
In te fudit opes, et opus mirabile cernens  
Est mirata suas hoc potuisse manus.  
Hæc posuit [*f. potuit*], vultuque deas, animoque pe-  
[rentes,  
Quos homines nunquam post habuere diis.  
Quodque magis miror, pulchram castamque creavit,  
Quo nihil hic sexus majus habere potest.  
Quamvis sexus, opes, genus, ætas, forma resistant,  
Nil te reginam præter honesta juvat.  
Innumeros hostes et virgo vincis et una.  
Vincis quod virgo vincere nulla potest.  
Et quia non fuerat tanta quis conjugæ dignus,  
Conjuxit sponsam te sibi, virgo, Deus.  
Ne pudeat, regina, tuas me dicere laudes,  
Et dominam dici te patiari meam.

IV. *In laudem Angliæ et ejus regis Henrici I  
et reginæ ejus futuræ sponsæ.*

(Ex eodem ms.)

Anglia, terra serax, tibi pax diuturna quietem,  
Multiplicem luxum merx opulenta dedit.  
Tu nimio nec stricta gelu, nec sidere fervens,  
Clementi cælo temperieque places.  
Cum pareret natura parens, varioque favore,  
Divideret dotes omnibus una locis,  
Elegit potiora tibi, matremque professa  
Insula sis locuples, plenaque panis, ait.  
Quidquid luxus amat, quidquid desiderat usus,  
Ex te proveniet, aut aliunde tibi.  
Te siquidem, licet occiduo sub sole latentem,  
Quæret et inveniet merce beata ratia.  
Tempus erit quo sceptrum tibi promissa gubernet  
Henricus nec avis, nec patre rege minor.  
Rege sub hoc pax Ecclesiæ, reverentia legi,  
Judicium vitio, gloria rebus erit.  
Rege sub hoc metuet latro, vel meminisse latronis.  
Rege sub hoc tutum præter honesta nihil.  
Hinc sociam dispono tibi cui præparo quidquid  
Agnoscat virtus in muliere suum.  
Neve notam trahat ex vitia vel stirpe parentum,  
Sanguis erit regum, justus utrique parens.

(51) Reginam forte Mathildem, nondum Henrico  
I Anglorum regi nuptam, apud quam olim concio-  
natus fuerat, ob egregiæ animi corporisque dotes,

A Hæc ea nascetur quam purpura quærat et æcla,  
1367 Ad quam confugiat pulsus ab orbe pudor,  
Hæc ea nascetur quam rex, quam regia proles,  
Qua Cæsar plaudat conjugæ, matre, socru.  
Hæc ea nascetur quæ vivat et instet honesto;  
Pauca viro pariet, pignora multa Deo.

Hæc ea nascetur quæ majestate coronam,  
Sceptra manu, gemmas ore micante vivet.  
Hæc perfusa genas, genio quem mundus adoret,  
Ver geret in vultu, pectora legis erunt.  
His ego principibus sum te factura beatam,  
Anglia; quod superest pandere nolo tibi.

V. *De Angliæ et ejus principe.*

Angliæ nunc humilis, terrarum gloria quondam.  
Fluctuat, et merso remige mersa jacet.  
B Quæ laudum titulis toto radiabat in orbe,  
Eclipsim patitur, sole relicta suo.  
Quo periente perit, quo sospite sospes agebat  
Otia; quo stabat stante, cadente cadit.  
Legibus ille dolos, armis compeccat hostes,  
Placatis placidus, indomitosque domans.  
Felix imperio satis est feliciter usus,  
Pacis amans, clarus munere, Marte potens.  
Illius interitu decus interiit, intereuntque  
Otia, pax legum, sanctio, jura, fides.  
Jam freta navigio, fora navibus [*f. legibus*], arva  
[colonis,  
Plebs patrocinio, clerus honore caret.  
Jam reparat [*f. repetit*] judex perjuriam, bella ty-  
[rannus,

Fur sicam, prædo tela, cylixque (53) ralem.

C Ergo viri tanti casum gemit Angliæ, cujus  
Præcipiti casu præcipitata cadit.

VI. *De Mathilde proba regina Anglorum.*

(Ex præfato ms. S. Mariani Antissiod.)

Filia præteriti, præsentis nupta, futuri  
Mater regis, habes hoc speciale tibi.  
Aut vix, aut nunquam repetitur femina quæ sit  
Hæc eadem regum filia, nupta, parens.  
Nec tua nobilitas est a te cæpta, nec in te  
Desinet, et post te vivet et [*f. ut*] ante fuit.  
Nec tu degeneras, revera filia matris  
Talem te genuit qualis et illa fuit.  
Casta pudicam, pulchra decoram, provida cautam.  
Larga tulit largam, relligiosa piam.  
Est rosa de radice rosæ; de relligione  
D Relligio; pietas de pietate fluit:  
De stella splendor, de magno nomine majus.  
Unum patris erat; sunt duo regna tibi.  
Angli reginam venerantur, te comitissam  
Normannorum plebs; utraque gens dominam.  
Non ad sceptrum venis rudis; usum tradit origo.  
Est regnare tuum, resque paterna tibi.  
Tu per naturam, per sortem cætera turba.  
Regnas; regnum dant hæc tibi, soror aliis.  
Nulla potentior est in regno; nulla decore

mirifice laudat.

(52) Id est *pirata*.

Est tibi par ; omnis religione minor.  
 Sic mores, regina, tuos componis et actus,  
 Ut sit in his justo plusve minusque nihil.  
 Quippe nocere potes ? Non vis. Offenderis ? Ultro  
 Condonas. Cernis tristia ? Compateris.  
 Vis dare ? Non differo. Vis parce vivere ? Nescis.  
 Si loqueris, meritum sermo vigoris habet.  
 Si taceas, rigor est ; si rides, risus honestus.  
 Oras ? Orantis fletibus ora madent.  
 Jejunas ? Gaudes. Comedis ? Satiabere nunquam.  
 Quidquid agas, frenum sobrietatis habes.  
 Intus simplicitas mentem foris, ornat honestas  
 Vultum, grata quidem singula, plusque simul  
**1268** VII. *Virginem quamdam versu peritissimam*  
*laudat, et ut eum in exilio positum suorum munere*  
*carminum soletur, exposcit.*

(E ms. Ebroic. 19.)

Tempora prisca decem se jactavero Sibyllis,  
 Et vestri sexus gloria magna fuit.  
 Unius ingenio presentia sæcula gaudent  
 Et non ex toto virgine vate carent.  
 Nunc quoque sunt homini quædam commercia di-

[vum,

Quos puto, nec fallor, virginis ore loqui.  
 Mente tua posuere dii penetrabile verendum,  
 Teque sacrum, vatem constituere suum.  
 Ore tuo quæcunque fluunt vigilata priorum  
 Transcendunt, solis inferiora diis.  
 Quidquid enim spiras, est immortale tuumque  
 Taaquam divinum mundus adorat opus.  
 Deprimis ingenio vates celebresque poetas,  
 Et stupet eloquio sexus uterque tuo.  
 Carmina missa mihi decies spectata revolvens  
 Miror, et ex Adytis illa venire reor.  
 Non est humanum tam sacros posse labores.  
 Nec te, sed per te numina credo loqui.  
 Pondera verborum, sensus gravis, ordo, venustas  
 Vultum divinæ cognitionis habent.  
 Cum miror quanta se majestate tuentur  
 Parcius exilii triste recordor onus.  
 Forsitan ignoras, sed ego dum tutor honestum,  
 Dum sacri partes ordinis, exsul agor.  
 Exilii curas, et pondera dura laborum  
 Alleviare potes, carmine, virgo, tuo.  
 Allevies oro, nec quem fortuna reliquit.  
 Linquere fortunæ tu comes ipsa velis.  
 Ne mihi verba neges, levius nil poscere possum,  
 Nil a te spero, si mihi verba neges.  
 Exsulis obsequium nisi cujus forte recuses,  
 Exsul in obsequium aitor ubique tuum.

VIII. *De ortu et morte pueri cujusdam monstruosi.*

(E ms. Turon.)

Uxor Thyresiae dum pleno ventre tumeret,  
 Numina consuluit quid velitesse tumor.  
 Phœbus ait : Vir erit : Venus inquit : Femina fiet.  
 Inquit Neptunus : Imo puella puer.  
 Respondit verbis res, concipit illa, puerque  
 Femina, vir, neutrum, nascitur omne simul.  
 Ille vel illa fuit, res nescio quæ duo solus.

A Neuter, uterque puer, femina plura nihil.  
 Necdum florentes puer iste reliquerat annos  
 Cum de morte sua consulit ipse deos.  
 Prædixit Venus hunc laqueis occumbere, telo  
 Mars, Neptunus aquis. Singula pondus habent.  
 Hospes aquæ pinus fuit, ascendit puer ensis  
 Labitur incauto, labitur ipse super.  
 Ramo præda fuit pes, pectus perfodit ensis,  
 Unda caput mergit, ter perit unus homo.  
 Causa necis tria sunt, et ramus, et ensis, et unda.  
 Quem tenet ille ligat, hic necat, illa premit.  
 Pes pendens, latus effossum, mersum caput, hæret  
 Ramo, mucrone pungitur, amne necat.  
 Corrigiam pectus, caput hamo, cuspide flucto,  
 Ramus, mucro, latus, alligat, intrat, agit

IX. *De morte hominis, feræ et anguis.*

(Ex oedem.)

B Forte nemus lustrabat homo, fera forte redibat  
 Plena, latens anguis forte jacebat humi.  
 In pecudem pariter oculum cum cuspide misit  
 Rusticus, agnovit missa sagitta manum.  
**1269** Hasta feram sternit, anguem fera comprimit  
 [anguis  
 Tabem fundit ; ea tabe necatur homo.  
 Ossa vorando, locum calcando, vomendo venenum,  
 Vir jaculo, pede sus, vipera tabe nocet.  
 Saucia contrita, sparsus telo, pede, viru,  
 Bestia, vipera, vir, sternitur, aret, obit.

X. *Epitaphium Senecæ.*

(Ex oedem.)

C Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,  
 Ite alias post hæc sollicitare animas.  
 Me procul a vobis Deus advocat, ilicet actis ;  
 Rebus terrenis hospito terra vale.  
 Corpus avara tamen solemnibus accipe cunis ;  
 Namque animam cælo reddimus, ossa tibi.

XI. *De hermaphrodito.*

(Ex eodem.)

Dum mea me mater gravida gestaret in alvo,  
 Quid pareret tertur consuluisse deos.  
 Phœbus ait : Puer est ; Mars, femina, Junoque,  
 [neutrum ;  
 Jam qui sum natus, hermaphroditus eram.  
 Quærenti lethum, dea sic ait : Occidet armis,  
 Mars oruce, Phœbus aqua, sors rata quæque fuit.  
 Arbor obumbrat aquas, ascendo, labitur ensis,  
 D Quem tuleram casu, labor et ipse super.  
 Des hæsit ramis, caput incidit amne ; tulique  
 Vir, mulier, neutrum, flumina, tela, crucem.

XII. *De oppositis.*

(Ex eodem.)

Turbat hieme florem, nox lucem, larva decorem,  
 Ariditas rorem, mors vitam, corvus olorem.  
 Tristities risum, labor otia, Styx paradisum,  
 Noctua pavonem, lupus agnum, Davus Adonem.

XIII. *Ad Hugonem.*

Si qua mihi scribis, ne cuiquam scripta revelem  
 Submissis precibus, Hugo, rogare soles.  
 Ne timeas, nunquam per me secreta patebunt ;

Cum relegam, nequeo scire quid ipsa velint  
XIV. † *De Lucretia.*

Cum foderet gladio castum Lucretia pectus  
Sanguinis est torrens egrederetur, ait:  
Testes procedant me non fuisse tyranno  
Ante virum sanguis, spiritus ante deos,  
Quam bene producti per me post fata loquentur,  
Alter apud manes, alter apud superos

XV. *De avaro promissore.*

(E ms. Ebr. Regio. 274.)

Pollicitis omnes oneras, homo munere paucos;  
Cum sit avara manus, prodiga lingua tibi.  
Pollicitis plus ora patent, quam dextera donis;  
Quam melius dare te plurima, pauca loqui.  
Promittis quod habes, et quod non habes, nec ha-

[bebis,

**1370** Das quavis cuivis omnia, dasque nihil.  
Hoc petit, excipis hoc; illud petit, excipis illud:  
Hoc mihi servo, dicis, cætera tolle tibi.  
Tu vel promittis uni tria, vel tribus unum;  
Tres tamen, aut unus, nil vel habet, vel habent.  
Quod ter promittis, non das semel; et tamen ipse  
Das tribus, atque tibi; rem tibi, verba tribus.  
Servus iners eris, mentem non tollis ab arca;  
Mentis ibi fixæ sit brevis arca modus.  
Cujus dextra manus manui suspecta sinistrae,  
Suspectam lævam, ne sua tollat, habet.  
Obliquam dextræ lævam, dextramque sinistrae,  
Alternis oculos dividis excubiis

XVI. *Ænigma.*

(Ex eodem Ebr. Regio.)

Copia tres hominum triplici provexit honore;  
Tres ita provectoro triplici sociavit amore.

A Sic fuit una tribus, ut tres amor uniat unus;  
Sic tres unit amor, ne separet hos nisi funus.  
In quibus exemplar sit tertia vita duarum,  
Et vicia conversa, de lumine lucet earum.  
Sunt sibi pro speculis, exempla que mutua præbent,  
Tresque tribus quod sunt alternatim sibi debent.  
Felicis quibus elimat zelo meliore  
Tertia vita duas, nec honor tabescit honore.  
His bene servit honor, quia nullus servit honori  
Jure tenet virgam, cui non est virga timori.  
Felix, cujus honor se possessore tumescit,  
Quando non ipsi, sed ab ipso gloria cessit.  
XVIII. *Conclusio operum metricorum Hildeberti;*  
*forte cum ex Anglia in Galliam transfretaturus*  
*esset.*

(E ms. codice, olim Elnonensi, nunc Regio, n. 274,  
annorum circiter 500.)

B Hactenus, o Musæ, somno satis, et satis usæ,  
Aspirare precor velis intransibus æquor.  
Nube vacet cælum, mare stercoite, tollite velum  
Malus et aura, ratis fieri non iuideatis.  
Impleat aura sinus, placido natet æquore pinus,  
Quæ sibi fœda parum subiit discrimen aquarum.  
Firma suis omnis innititur aula columnis.  
Artibus aurigæ sit certior orbita ligæ.  
Vitis tangit humum, si tangere desinat ulmum.  
Sum ratis et vitis, vos ulmus nautaque sitis.  
Vos via, vos murus, vos Auster, vos Palinurus.  
Effer, Clio, tubam, committe tuas mihi vices  
Calliope, suda, toto mihi numine spires.  
Ecce subimus aquas, vos eia, vos duo nautæ,  
C Dispensate, precor, moderantes singula caute.  
Eia, tu cornu, Clio doctissima, clangere;  
Tu digitis nervos, et cantu proxima tange.

## SUPPLEMENTUM AD HILDEBERTI CARMINA

† I. *Versus de excidio Trojæ.*

(Ex codice ms. bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis edidit  
Polycarpus LEYSEN, *Hist. poet. mediæ ævi*, p. 398.  
Halæ Magdeburg. 1721, 8°.)

Divitiis, regno, specie, virtute, triumphis,  
Rex Priamus clara clarus in urbe fuit.  
Dum rex, dum proceres, dum starent Pergama  
[Troja.

Quæ decus, et species, et caput orbis erat.  
Rex Hecubam duxit sociam sibi nobilitate,  
Auspiciis, forma, rebus, amore, throno.  
Ex hac suscepit natos. Erat Hector in illis  
Summus, et in bello fulminis instar habens.  
Plus ferus ille fero, plus urso, plusve leone;  
Sic fuit abaque fere plus ferus ille feris.  
O faustum natis! o faustum conjunge regem!  
Si pariter Paridem non peperisset ei.  
Non in eo peperit pignus, sed tela, sed ignes,  
Sed sibi, sed Priamo, sed mala cuncta suis.  
Hoc pater, hoc genitrix, hoc fratrum coetus, et He-  
[ctor,

Hoc etiam regni gloria Troja cadit.  
Hunc Paridem paritura parens per somnia vidit;  
Vidit pro puero se peperisse facem.  
Dum rex in signo tunc signi percipit, horret  
Quod parat in pignus impius esse pice.  
Nam puerum natum pro jussu regis in Idam  
Servi tollentes ense necare parant.  
Sed puer aspiciens ensem radiare coruscum,  
Arridet gladio nescius ense necis:  
Quod percussurus cernens cor flectit, et ictum,  
Et ferus et feriens desinit esse simul.  
Sub foliis vivum linquit, quem pastor oberrans  
D Inventit, ut foliis nuper opertus erat.  
Dum videt hunc sanum, dum vivum, dumque de-  
[centem:  
Extrahit, aspectat, nutrit, adoptat, habet.  
Qui pastoris oves pastor dum pascit adultus:  
Conveniunt ad eum Juno, Minerva, Venus.  
Judicium Paradisi quæ sit pulcherrima querunt,  
Promittunt etiam munera quæque sua.  
Juno decus; Pallas vires; Cythera puellam: